

libertate proponere queat. Quoad autem Dominum Generalem Campi Vigiliarum Praefectum a Paulich clementer providere, ut propter hujus absentiam mixta Commissio Operationes suas differre non cogatur, verum his quo ocyus manum admoveere possit, sicque tandem fine querimoniis Civitatis Segniensis imposito, tot tantarumque Regni Legum effectus procuretur.

Articulus Quartus.

De Benigno Rescripto intuitu 20 Millium florenorum, ex annua trium Superioris Slavoniae Comitatum Contributione pro Scholis Nationalibus, Nosocomiis et Orphanis Benigne resolutorum emanato.

Lectum et Publicatum est Benignum Suae Majestatis Sacratissimae sub 18. Mensis Junij Anni labentis ad Suam Excellentiam Banalem emanatum rescriptum, quo mediante altefata Sua Majestas Sacratissima ad demissas Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum sub 7. Junij Anni praeteriti 1791. et 20. Aprilis Anni currentis intuitu 20000 florenorum summae, quae occasione adauctae Anno 1770 trium Superioris Sclavoniae Comitatum, Zagradiensis quippe, Varasdinensis et Crisiensis, Contributionis, ex pientissima gloriosae reminiscendae Imperatricis et Reginae Apostolicae Mariae Theresiae liberalitate, apud Cameram per aliquot Annos tam diu ellocanda disposita fuit, donec ex illa Capitale ejusmodi conflatur, ex cujus Interusurio necessitatibus praefatorum Comitatum quoad Scholas Nationales, Nosocomia et Orphanos subveniri possit, Suae Majestati Sacratissimae submissas Repraesentationes, ut votis Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum satisfiat, Connotationes per Rationariam Aulicam genuine elaboratas, e quibus summam Capitalis successive conflati, potius adauctam, quam imminutam, ipsas autem erogationes conformiter ad scopum per Pientissimam Fundatricem defixum, omnino factas luculenter patet, transmittendo clementer significat, semet Consilio Regio Hungarico clementer injunxisse, ut ad facilius perficiendum, an, et qualis in futurum pro Scholarum Nationalium, Nosocomiorum Fundo utilior fieri valeat Provisio, ex Fundo pro triplici hac destinatione hactenus promiscue manipulado, unicuique ratam aequalem cum 80206 fl. 40 xr. excindi, ac in Cassam pro una quavis separati Fundi destinatione tenendam administrari faciat, praeterea autem in id sollicito incumbat, ut 2000 fl. Textori et Civi Leuchoviensi Andreae Czisch in promotionem Fabricae, neutiquam ex Cassa Commerciali, verum ex Provinciali Croatica, annue 3572 fl. 45 xr. faciente, assignati sunt, suo tempore rite repersolvantur. Prout autem illud non verificatur, quod Gubernio Fluminensi annue 1500 fl. subministrati sint, ita extra omne dubium esse, quod quantum pro Scholis Nationalibus destinatum tertiam partem Fundi totius proventuum non excesserit, siquidem 1661 flor. 17 xr., quos Fundus Convictualis Zagradiensis pro Stipendiis Studiosorum Nationis Croaticae percepit, adhuc ante Convictuum sublationem ex tertialitate proventuum, pro Orphanali Fundo destinata, depensi habentur, quos proinde ulterius etiam ex hoc Fundo dependi Sua Majestas Sacratissima Benigne vult, insuper jubendo: ut Salaria pro Ludi Magistris Veröczeni et Posegano, in 50 et respective 200 florenis defixa, ad Fundum Studiorum generaliter destinatum